DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die, Jovis 24ª Martii.
M. DCC. XL.

M. JOANNE-CLAUDIO-ADRIANO HELVETIUS, Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæque Medico Primario, & Regiæ Scientiarum Academiæ socio veterano, Doctore Medico, Præside.

An Amputatione tutiùs quàm decussatâ sectione Anthrax *Serpens curandus?*

I.

CARBUNCULUS Græcis *Anthrax*, Arabibus pruna, & ignis persicus, morbus acutus, periculosus, symptomatum satellitio sævissimus. Tumor est inflammatorius, plerumque maligno *Myasmate* attactus & syderatus, in cute potissimum & panniculo adipso plus minùs protuberans. Varias ejus enumerare species, suam unicuique medelam assignare non locus. Videas ægrum nonnumquam diris primùm affici cruciatibus, crebris horroribus con-

cuti, febre inæstuare ardentissimâ, immoderatâ somni cupiditate, cordis tremore urgeri violentissimo, tum partem affectam prurire, rubere, intumescere, pustulâ unâ majore, quandoque pluribus exilibus milii semina æmulantibus, in particulâ residentibus, quibus ruptis, crustaceum ulcus provenit quale candente ferro inducitur, crustam autem ipsam, modò cinereo colore, modò nigro infici, cutim subjectæ carni fieri stricto nexu affixam, circumjacentes partes exquisitâ aduri inflammatione, aut nigrescere, aut bituminis & picis modo splendescere, faciem adustam pyrotici actualis impressioni non absimilem gerere, nonnumquam accensos carbones mentiri. Tum pars dolet perindè, ac si vinculis foret constricta, nauseâ quoque, frequenti vomitu, & omnimodâ appetitus prostratione, miseré torquentur laborantes, animi deliquiis fatiscunt, anxietatibus premuntur. *Anthrace* nigricante & livescente, mortem in propinquo esse, certò certius asserueris, ni citò auxilietur officiosa Medicina. Carbunculi qui valdè extrorsùm prominent, & ad centrum non secùs ac phlegmone in apicem desinunt, si factâ sectione aperiantur, cernitur materia putredinosa, certis circumscripta limitibus, extra quos nullatenùs vagatur, hanc *Anthracis* speciem accuratiùs perpendere, nostrum non est. Alia est præterea (ambulans scilicet) quæ licet intumescat, non ita tamen in suo meditullio pyramidata est. Hæc aperta, materiam exhibet putrescentem, fluidiorem, non ita coercitam, ut suo non possit halitu, vicinas partes contaminare, imò omnes ferè cellulæ propinquiores, eâdem sic turgent materiâ, ut totidem putes adesse carbunculos, quot conspicuæ sunt cellulæ. Cæterùm ubi morbus invaluit, nec ullâ potest medicamentorum ope exterminari, varias à chirurgiâ mutuatur methodos, ad curandum medicina. Hæ omnes, ad unum tendunt, ut morbum, penitùs auferant, ad hanc ergo confugias, quæ serpenti materiæ, vicinasque cellulas subeunti, tutiùs moras inferat, & quæ largiorem, promptioremque suppurationem promoveat, tunc ægri saluti, & medentis famæ, tutiùs consulueris.

I I.

MORBOS omne genus eliminare ambienti, attendendum ad causas, his quidem cognitis, dimidium habes facti, neque tamen ità curiosiùs ipsas scrutare, ut his benè intellectis, morbum statim penitùs auferri putes, iterata docuit nos experientia, diutiùs perseverare excitatos in ægro corpore tumultus, ipsa non adversatur experientiæ ratio. Cancri causas diligentiùs investigasti, novisti, pravam humorum indolem emendasti, utcunque debellasti, en grande opus exegisti. Verùm jam distenta cutis dissiliit, quid tum? chirurgum vocas, ecce armatam ferro manum operi intrepidus admovet, cancrum amputat. Sed altùs jam profundiùs egit radices cancer, filamentum unum, aut alterum radicis sagaces medentum oculos fefellit. Hinc qui morbi fuit effectus, novi

fit morbi, vix ac ne vix quidem debellandi causâ. Tutam itaque medelam attigisse, te ne glorieris, donec hîc & illic disseminata cancrorum radicitùs evellas germina, sævioribus alioquin repullulatura symptomatis. In *Anthrace* ambulante unum molitur natura, ut quo laborat intùs, venenum extùs abigat. Hujus vel minima pars residua, vicinas quasque partes iterato eoque periculosiori incendio, prompta est pervastare. Timendum enim est ne ad interiora & partem aliquam principem, materia subitò recurrat. Hujus ad exterminationem natura derepentè suscitato tumultu, negotium sibi soli permissa exequitur, materiamque debito ordine ac viâ secernit, expellitque, nostrâ ope, nostris artificiis vix indigens, suis viribus probè instructa. Quid ergò parentis naturæ votis obsecundare moraris? num facta via est? morbum efficientis materiæ pars alicubi lentescit, sistitur erumpere gestiens, ferro facis iter; vide ergò ne angustiorem sternas viam quò apertior via eò copiosior materiæ eliminatio, eò minor formidandi locus ne virus vicinas cellulas invadat, serpat, & ab humoribus secretum iisdem iterum se se immisceat.

I I I.

CUTIM sedulus examina, mirabere vasculorum sanguiferorum, & lymphaticorum, in infinitum decrescentium immensam seriem, ita dispositam, ut totam cutis substantiam efformet; his innumeri implexi sunt nervorum surculi, qui operis in partem vocati, plexus efformant tenuissimos, & pyramidatos, in racemos collecti, exuviisque suis corpus reticulare constituentes, cuilibet cutis puncto, sensum impertiuntur exquisitissimum. Ex vasculorum extremis pluries in orbem intortis, assurgunt corpuscula à vasis distincta, subrotunda, sanguinis serosâ simul & oleosâ parte turgidula, passim cutim inter & pinguedinem disseminata, glandulæ miliares dictæ; cuti subjicitur membrana constans cellulis diversæ figuræ multiplicibus, & sic aliis cum aliis communicantibus, ut ex singulâ quâque, in vicinas expeditissimus omni experimento deprehendatur aditus, hæc immensa est, nec infra cutim musculis tantùm supra sternitur, verùm inter ipsos, vasaque & nervos, scepta ubique efformat, quæ iterum in tunicas convoluta, hinc & indè emittunt appendices omnibus fibris musculosis coextensas. Arteriis omnis generis coronatur & potissimùm pinguiferis, quarum ex osculis in cavum cujusque cellulæ hiantibus, educitur oleosus humor, qui pinguedo audit. His in partibus descriptis, nidulantur *Anthraces*. Sic enim se habet *Anthracis* myasma, sic liquidis sanis, est infensum, ut plerumque nullâ digestione, coctione nullâ, ipsis queat assimilari, medicamentisque efficacioribus, nullatenùs cedat; hinc venefico attrectati livore latices vel purissimi, quaquaversùm diffunduntur efferi, donec lethale seminium ad remotiores corporis partes ablegaverint. At verò inter partes, quibus conflatum exurgit corpus humanum, quasdam re-

peries *Elatere* ferè omni deſtitutas, ac proindè ad reſiſtendum minus habiles, inflammationi concipiendæ idoneas, panniculum ſcilicet adipoſum, ad has proruet deleteria labes, has depaſcet rependo, & eò crudelius è viciniâ in viciniam graſſabitur, quòd liberum pandunt cellulæ tramitem. Quorſùm autem in cellulas intactâ cute ſæviret malum, dùm nulla ad cutim repunt vaſa, nulli diſtribuuntur nervi, niſi per panniculum adipoſum trajecti? quid ergò mirum ſi cutis rubor in latum omni die, omni horâ diffundatur? ergò cutim & ſtratum adipoſum *Anthracis* Serpentis frequentiſſimam ſedem conſtituere dubius non hæreas. jam verò quî depoſitam in cellulis labem eliminabis? deferes ad communem fluidorum alveum? at nullus reſolutioni locus. Cataplaſmatum ope maturabis donec erumpat Pus? At grave in morâ periculum. Quæ datur hora in lucro eſt; facillimam eſſe materiæ *Anthracis* ſerpentis cum noſtris humoribus miſcelam ille ſolus negaverit, qui nec ad venas pinguiferas reſorbentes, nec ad expeditiſſimam, & reciprocam cellularum communicationem attenderit, nec pinguedinem tanquam vehiculum habile, ad hìc & illìc contaminatas *Anthracis* dotes diſpergendum cognoverit, quid ergo cunctaris? profligando malo duplicem methodum miniſtrat chirurgia, alterâ cutis ita ſecatur, ut crucis figuram oculis ſectio ſubjiciat; inſtituatur hæc in *Anthrace* qui non ſerpit per nos licet. Alia eſt (moleſtiorem fatemur) quâ totus *Anthracis* ambitus ita cæditur ut ſectione factâ, totus auferatur tumor. Hâc tutiùs morbo medemur, impeditur ne ſerpat materia, promptior copioſiorque obtinetur ſuppuratio.

I V.

CURATIO *Anthracis* per decuſſatam ſectionem antiquiores Medicos non fefellit. Sectiones mediocribus profundiores arridebant Galeno. Cæſar Arantius lib. de tumorib. cap. XXX. nos docet *quoniam affuſio ſanguinis malum elevat non parùm antequidem exſecandum mox urendum eſſe carbunculum.* plerique inciſiones aquâ ſalſâ calente ſtatim perfundebant. At verò inſtitutâ ſectione decuſſatâ, putreſcentis materiæ portio, facto vulnere foràs quidem amandatur, ſed quâ gaudet fluiditate, jam in cellulas propiores ſibi fecit iter, latè ſpargitur ad totam tumoris *peripheriam*, vacua cutim inter & glandulas ſpatiola replet, ibi furit, debacchatur. Quò tandem deveniet? perget ne per apertum vulnus? ſed pluribus eget diebus, ut tam remoto ſe explicet itinere. Hinc in viciniâ cutis rubet, inflammatur, novi dein efloreſcunt *Anthraces*, novis, at heu! ſæpiùs irritis aggrediendi ſectionibus. Mòx exaſperatur febris nullis extinguenda medicaminibus, ſubita ingruit gangræna, morſque ineluctabilis. Neque etiam ſi mortem declinet æger, ab omni periculo immunis habendus. Prædicta quippe materia panniculi adipoſi venulis totidem quaſi antliis hauſta, admiſcetur humoribus,

hos venenato inficit afflatu, hinc in glandulis omnibus, obſtructio; hinc in extremis arteriarum, nec non in pulmonibus inflammatio, gangræna. Quid ergo mirum ſi antiquiores Medici ſectionibus minus fidentes, ad ignem & Arſenicum poſt inſtitutas ſectiones recurrerint, viruſque ipſum ſuctu, cucurbitulis, & medicamentis attrahentibus, ad locum carbone obſeſſum evocent, & alliciant. Mancam & inſufficientem ad exterminandam *Anthracum* virulentiam ſectionum decuſatarum chirurgiam Medicis ſemper fuiſſe habitam nemo antiquioris Medicinæ gnarus negaverit. Omnia mox recenſita incommoda præcavet amputatio, præſertim ſi ita inſtituatur, ut non tumor tantum, ſed pars tota cutis, quæ rubet, cultro auferatur, ſic larga fluet ſuppuratio, iterata vitabitur ſectio, morbi fomes in glandulis, & cellulis adipoſis tumori adjacentibus deliteſcens eliminabitur, vaneſcent dira ſymptomata, quæ ægtos ſi non trucidant ſaltem diriſſimis afficiunt malis.

V.

PROPOSITAM hìc chirurgiam ſi quis temeritatis nomine incuſet, ad veram *Anthracis* naturam attendat. *Anthrax* in parte quam obſidet, vera eſt gangræna aut gangrænæ proxima, cujus virus tenemur radicitùs evellere, nobiſque aſſentiuntur præſtantiſſimi Medici, *eſt igitur* inquit *Munich Chirurg. lib. 1°. Carbunculus alicujus partis gangræna dum in fieri eſt, vel ejuſdem dum in facto eſt*, pöſtea idem author addit, quâ ratione ductus, Carbunculum ſphacelum eſſe dixerit. *Sphacelum eſſe*, inquit, *indè liquet, quia nullâ natura vi edomari, & in pus converti poteſt Carbunculus, ſed integer a vicinis partibus ſeparatur.* His rationum momentis ducti Sylvius Delboë, aliique complures melioris notæ Medici, tumorem cauſtico circum-expanſo cingebant; familiare fuit Sylvio butyrum antimonii, quo omnem tumoris ambitum attrectabat, ita ut ad vivas uſque partes pertingeret applicati medicamenti *energia*; alii actualis pyrotici impreſſione affectas partes comburebant. Hæc & alia bene Multa apud antiquos familiaria fuerunt armamentaria in eum ſcilicet finem ut partem infectam, penitùs a vivis & ſanis partibus ſepararent, & ut *Anthraci* in maſſam ſanguinis refluendi omnem anſam tollerent. Sæpe enim contingit ut *Anthrax* qui primùm laudabiliter ac cum Symptomatum remiſſione protuberavit, poſtea ex improviſo evaneſcat, ejuſque in locum maculæ purpureæ certiſſimi mortis indices ſuccedant, & verò *Anthraces* qui intromeant, ad legitimos abſceſſus numquam perducuntur. Recepto denuò intra muros hoſte, in ſanguine commotio excitatur, cujus opera *Ecthymata* imminentis lethi indicia foràs propelluntur. *Hieronimus Rubeus* commentariorum ſect. 10., in carbunculis etiamnùm igniferam chirurgo-

„ rum operam comprobavit, eventu felicem, neque fidendum est in-
„ quit unguentis causticis, quia hæc parvam escharam, eamque super-
„ ficie tenùs facientia carbunculorum radicem planè veneficam quæ
„ plerumque ægros interficit minimè attingunt nedum tollant, igitur
„ si Celsum audiamus atque efficaciter mederi volumus nil nobis me-
„ lius esto quam protinùs adurere, nempe ait, neque grave id est,
„ nam non sentit, quoniam est caro mortua finisque adurendi est;
„ dum ex omni parte sensus doloris est. „ Attendendum autem de Carbunculo communi hæc fuisse dicta. *Et fabric. hildanus pyrotech, chirurg. lib. XI. part. 1. cap. XXXIV.* hæc addit, *jam autem solemne remedium Carbunculo fuit ignis.* Gangrænosam imò & *Necrosi* syderatam esse *Anthracis* naturam, fusiùs si probare nobis arrideret; plus quam mille apud antiquos citatis exemplis comprobata dissertatio nostra, nimiùm excresceret. Ex his omnibus patet indicationem hanc quæ partes Carbunculo attactas à vivis & sanis separandi necessitatem demonstrat, præstantissimis medicis arrisisse; idcircò in usum vocabant antiqui, incisiones profundas, profusiones ex aquâ salsâ calente, Arsenicum, sanguisugas, cucurbitulas, pyrotica, unguentum Ægyptiacum, avulsionem per morsum à dentibus. Circa Carbunculorum naturam, contagium, exitialem indolem, ambigentibus, factum satis crediderimus, si tutiorem saltem methodum potuerimus proponere; cauterio & decussatis sectionibus suam detrahere laudem absit. At auxilia hæc tardo & debili nimiùm telo malum impetunt. Applicato cauterio, crusta remanet non nisi post multos dies decidenda, imperspirabiles fiunt humores infecti, & dum ad escharam promovendam, vires suas exerit natura, quis dixerit, an non exitiale seminium pondere prementis sarcinæ intro repercussum, venas jam sanguiferas subierit tragædiam ultimam pertentaturum. Neotericorum scarificationes hic damnare non est animus. At qui fieri possit ut dum repetitis ictibus multiplicatis vibrationibus ad expulsionem crustæ aut syderatæ, aut ad syderationem vergentis, arteriolæ sanæ harmonicè trepidant, præsentiam & actionem hostis feralis intactæ diutiùs sustineant, hæ à venenatis quas conantur avellere partibus primùm lacessitæ, postea earumdem aculeis perfossæ, sævissimis erosæ spiculis, syderationem quam amoliuntur ipsæ concipiunt mortiferam, nova tum ingruit necessitas scarificationum, quæ si non felicior ipsas eventus comitetur, ægrum protracto & pro numero dierum multiplicato cruciatu ad mortuos demùm migraturum crudeliter excruciant. Interea fluidiores tabi partes per erosas venarum extremitates intrò susceptæ latices puros, si qui supersint, contagioso afflant halitu, & vitæ fontes, cor, cerebrum, & nervos membranasque principes lacessendo, *Lypothimias*, deliria pulsus intermissiones, convulsiones, aliaque proximæ mortis symptomata provocabunt. At vero in methodo propositâ, eodem quo *Anthrax* amputatur ferro, tabo, & ichori liberi panduntur exitus & prægravante sarcinâ expeditæ arteriolæ ictus non ingeminant, nisi ad promovendam suppurationem, quæ superstites infarctus salutari profluvio aufert & repurgat. Nec Celsi

ſententiæ repugnat hæc quâ utimur armatura, ſic enim loquitur lib. V, cap. 28. *quodcunque vero medicamentum impoſitum eſt ſi ſatis proficiet protinùs à vivâ corruptam partem reſolvet.*

Ergò Amputatione tutiùs quàm decuſſatâ ſectione Anthrax *Serpens curandus.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël - Philippus Bouvart.
M. Michaël - Joſephus Majault.
M. Antonius Ferrein.
M. Ludovicus - Jacobus Pipereau.
M. Joannes Iſoard.
M. Bartholomæus Murry.
M. Petrus Afforty.
M. Claudius - Antonius Renard.
M. Franciſcus Bailly, Scholarum Profeſſor.

Proponêbat Pariſiis, JOANNES-LUDOVICUS BAUDE DE LACLOY, Audomareus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.